



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 6. Scandalosos rejice.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Aversio parvulorum interficiet eos. Prov. 1. 32. *Aversio hæc tum passivè; quâ scilicet impij avertuntur à Deo: tum activè; quâ scilicet ipsi parvalos seducunt; & à Deo avertunt; accipi potest.* Cornelius hic.

Ex Novo.

Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus etc. Matth. 18. 7. Bonum est ei, si lapis molaris &c. Quare non lapis, sed lapis molaris? quia lapis molaris, dum triticum terit, dum farinam fundit, à polline furfurum dum secernit; panem piè laborantibus subministrat. Bene ergo illi, qui eligit minister scandalii magis esse, quàm pacis, ad collum alligatur lapis molaris: ut hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam: quia sensus ad vitam datos mortis convertit in scandalum; suadendo aliud videre, aliud audire, aliud sentire, aliud sapere; quàm erat in Christo, quàm erat in scientia salutaris. S. Chrysol. l. 27.

Va Mundo à scandalis. Matth. 18. 7. Ratio, quare tanta poena debeat scandalizanti, est, quia aufert Christo illud, quod amat maximè, scilicet animam. Sap. 11. 27. *Tua sunt Domine, qui amas animas.* S. Bonavent. in Luc. 17.

Sol obscurabitur. Matth. 24. 29. Deus enim hujus impietatis gentes arguet, damnabitque æternum: ac deinde in solem ipsum invectus; quod occasio gentibus fuerit illius amantia (licet sine sua culpa, ob mirabilem sui speciem & fulgorem) caliginosè tectum velamine ad vindictam obscurabit. Quanto verò severius Dei vindicis ira in eos delaviet; qui verè causa, & grandis occasio, multis fuerunt ad patranda enormia scelera. Feriantur nunc miseri fulguranti Domini voce. Matth. 18. *Va homini illi, per quem scandalum venit!* ut perierit nunc respiciant, & conterantur; nè æternis gehennæ cruciatibus torqueantur. Fernandus in Gen. 1. sect. 6.

Proiectus est. Apoc. 12. 9. Hoc de dracone bis dicitur. Naxera in Jos. 11. §. 25.

Cum parvas quaslibet res nobis injustè sublata districte djudicet Deus; credendum est, quod hominem sibi met subtrahi, pretiosam scilicet substantiam, æquanimiter feret? B. Petr. Dam. l. 5. ep. 16. §. V.

A scandalizando absterrètia motiva alia.

Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel. Ezech. 44. 6. Perditio nobis privata sufficiat. S. Gregor. l. 2. Pastor.

Videte, nè contemnatis unum ex his pusillis. Matth. 18. 10. Multi ideò non curant, nec metuunt, alios scandalizare: quia parvi pendunt eorum personam; nec attendunt dignitatem naturæ ad Dei imaginem factæ, ac pretiosam sanguinis Christi pro eis effusi. Consideremus ergò dignitatem animæ rationalis; & beatitudinem, ad quam condita est; & quanta pro ejus salute tota Trinitas fecit; quanta Christus sustinuit, quanta beneficia contulit: inter quæ est superdignissimum corporis, & sanguinis sui Sacramentum. Et sic fiet, ut neminem aspernemur. Dion. Carth. hic.

Ecce viri quatuor portantes in lecto hominem. Luc. 5. 18. Marcus 2. 3. ait, à quatuor Polyanth. Sacra. Tom. II.

portatum. Quatuor homines paralytico huic fuerunt adjutorio, ut ad Christum tenderet; & salutem animæ, ac corporis, consequeretur. At nunc quatuor non invenies, qui te ad Christum adducant: imò quadringentos, qui te ab eo semoveant, & in Infernum ducant. Stella hic.

Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est. 1. Cor. 8. 11. Non est amplius, quò possit vel ipse B. Apostolus, qui audivit arcana Dei causam proximi magnificare: nec sic terret aliquid aliud; quàm quòd pro fratre nostro mortuus est Christus: ut sciamus, quantum sit malum, eum pervertere. Diez Amor proximorum.

Ad te clamamus exules filii Evæ. Cur non Adam? Non enim sufficiunt nobis mala nostras: sed sicut Eva Adam; sic nos alios maculamus ad malum. S. Bonaventura Stim. am. p. 3. c. 19. q. d. omne flagitium, benignissima Domina, dignum est lacrymis: sed illud maximè deplorandum, quod Evæ peccato est simile. Did. Niss. Dom. 5. Epiph. §. 5.

Sicut parvus lapis solus cadit, & non precipitat alios; sic nec personæ parvæ. Sed magni lapides, id est, personæ notabiles, exemplo malò multos precipitant. S. Vinc. Ferr. l. 3. Dom. 20. Pent. §. VI.

Scandalosos rejice.

Ferant confessim confusionem suam, qui dicunt mihi, euge! euge! Pl. 39. 16. Per eos, qui dicunt, *euge! euge!* intelligere oportet eos, qui ad res turpes agendas incitant, & hortantur: qui statim pudore afficiuntur, quando eorum im probum consilium declinaverimus. Sancti Chrysol. hic.

Si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, & projice abs te. Matth. 5. 30. Non loquitur de manibus, & oculis materialibus; sed iis, quæ sunt occasioni, scandalo, offendiculo in via virtutis. Euthymius non dixit, percutere; sed amputa; manifestans omnimodam separationem. Dicens quoque; amputa, non ibi permanfit; sed ulterius sermonem extendit, addens, *projice abs te*: nè in proximo remanens fiat rursus familiaris. Did. Niss. in Phœn. Græc. l. 1. c. 13. Et si tantum aliquem diligas, ut eò oculi utaris vice; aut ita tibi quempiam utilem esse putes; ut eum dexterae manus ducas iocò; & hi tamen animæ tuæ fortassis incommodent; etiam istos, inquit, à te abscinde. Et diligentius vim ipsam sermonis examina: non enim dixit, à talium societate discedes; sed maximam separationem indicens, *erue*, inquit, *ac projice*. S. Chrysol. hom. 17. hic. Quod si membrum malè conjunctum abscindendum est, nonnè longè magis pravi amici? Id. hom. 56. in Joan.

Quisquis te observatione mandatorum Dei, virtutumque studio, revocat; is fit tibi execrabilis, ac detestandus: cum ejusmodi enim nè cibus quidem capiendus est. S. Nilus in Istis, Monachor.

Præcidamus ergò à nobis quasi manum, vel pedem, vel oculum; patrem, aut matrem; volentes nos agere contraria pietati: aut filium, vel filiam; qui quantum ad se, faciunt nos recedere ab Ecclesia Dei, & Christi dilectione. Sed essi uxor gremii nostri, vel amici unanimes, facti fuerint
Pli i 2 scandaliz

scandala nobis; præcidamus eos ab anima nostra, quasi non amicos, sed adversarios salutis nostræ. Origenes tr. 7. in Math. 18. Genuinè hæc metaphora petita est à Chirurgo. q. d. sicut læsi, & ægri, curant, ut chirurgus membrum, etiam nobilissimum, & summè necessarium, quale est dexter oculus, & manus, excindat, si inde pendeat totius corporis salus: ita & vos, ô Fideles mei,

monco, ut quodvis damnum prius subeat, quam culpam, præsertim lethalem, committatis: ut scilicet quidquid vobis est offendiculo, trahique ad peccatum; licet tam charum sit, & necessarium, quam dextera manus, vel dexter oculus, id planè resecetis, quantumvis incommodi, & doloris, vobis inferat. Cornelius hic.
Vide Societas mala.

TITULUS XII. SCIENTIA.

§. I.

Laudes, æstimata &c.

Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. II. 5. 13. scilicet spiritualium. S. Thomas Aqu. in I. Cor. 12. Lect. 1.

Lux animæ est, eruditio. Philo Sacr. legis alleg. l. 2.

Lapidibus quoque insensibilior est homo, qui est tinctus ignorantia. Clem. Alex. adhortat. ad gentes.

Tu orbis lumen, magna vox, & tuba; doctrinæ palatium. S. Gregor. Naz. de S. Basilio ep. 10.

Illud quidem inter omnes sanæ mentis homines constare arbitror; eruditionem inter mundana bona primum locum tenere. S. Greg. Naz. or. 30. in laudem Basilii.

Scientia, gladius spiritualis est in manu potentis. Hæc est pera, in qua David tres limpidissimos lapides posuit, quibus Goliath prostravit. I. Reg. 17. Hæc est asina mandibula, quæ Samsoni mille hostium stragem fecit. Judic. 15. 15. Hic est vomer ille aratorius, quò Samgar sexcentos Philisthæos occidit. Judic. 3. 13. Blesens. ep. ad Octavianum E. R. Card.

Alphonfus Rex Arag. divites sinè culturâ literarum, aureum vellus appellare solitus est. Suetonius l. 3.

Litera, magnum in paranda virtute adjuvamentum, vel in parata ornamentum. Lipl. ep. 8.

Joannes Casimirus Princeps elector Palatinus, dicere solitus: plus se unius docti calamò, quam decem indoctorum gladiò, posse. Masenius l. 2. arguitur.

§. II.

Scientia vera, & sancta, quæ?

Sequere me. Math. 8. 22. Summi consilii est, sequi Christum. Ars est artium, & scientia scientiarum, infallibilis est, simpliciter sequi, nemine requisitò. Sim. Cass. l. 9. c. 16.

S. Laurentii Justiniani Axioma erat: veram scientiam esse, scire hæc duo. Deum esse omnia, & se nihil. Bollandus 8. Jan.

Primum est scientiæ studium; quærere Deum; deinde honestatem vitæ cum innocentia operum. S. Isidorus l. 2. sent. c. 1.

§. III.

Scientiæ origo, & media consequendæ eam.

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Ps. 118. 66. Quia scientia non habetur, nisi præcedat disciplina; nec disciplina, nisi

præcedat bonitas: & sic per bonitatem, & disciplinam, inest nobis scientia. S. Bonavent. hic.

Si quis voluerit voluntatem eius facere.

Joan. 7. 17. Amplissima Schola ad cognoscendum omnibus patet sola bona voluntas. Sicut bona dispositio gustûs dat gustui discernere differentias saporum; sic bona dispositio voluntatis dat intellectui discernere doctrinam ex Deo, à doctrina, quæ non est ex Deo. Cajetan. hic.

Quamvis crâsos quis spiret, & Darios; litteræ marlupium non sequuntur: sudoris comites sunt, & laboris sociæ; jejuniorum, non futuritas; continentia, non luxuria. S. Hieron. ad Parnmachium, & Marcellinum Apol. advers. Rufinum l. 1.

Absque munditia animi, & vitâ sanctitatis æmulâ, possibile non est, sanctorum dicta intelligere. S. Athanas. Alex. de Incarnatione verbi.

Non potes nosse verba Pauli; nisi habeas spiritum Pauli. S. Bonaventura hexam. l. 2. 2.

S. Augustinus lib. de ordine, loquens de virtute unitatis, quam inquit, & facit amicitia; non dubitat ponere quælibet scientiam ex amicitia, & unitatis, appetitu manasse. Gerson tr. de Cant. originali ratione.

§. IV.

Scientiæ abusus.

Alii sunt, qui scientiâ non utuntur ad utilitatem proximi, sed ad nocumentum; studentes diligenter in his, quæ possunt turbare electiones; appellare contra majores, prælatos suos; & similia multa: abutentes jure ad injuriam. B. M. Humb. l. 69.

Ut in pluribus; quanto sunt majoris scientiæ, tantò sunt peioris conscientia. S. Vincent. Ferr. l. 3. D. 2. Adv. sicut non est proditor peior, quam qui plus scit de secretis ejus, quem perdere vult: ita non sunt Christi, Ecclesiæ, veritatis, peiores proditores; quam qui per scripturas, vel ingenium, plura sciunt. Broymard scientia.

§. V.

Scientia vana, mala &c.

Quid prodest, clavem habere auream, id est, intellectum bonum, vel scientiam magnam; si januam non aperiat? S. Aug. de doctr. Christ. l. 4.

Scientia sanctorum est, hic temporaliter cruciari, & delectari in æternum; & in contrarium, scientia malorum relabitur. Alia est scientia Mundi, quæ docet vanitatem; & alia scientia carnis, quæ docet voluptatem: illa tanquam pater, illa tanquam mater nobis est. Sicut enim mater filio suo semper optat quietem, & omnem profus laborem claudit à filio suo; sic caro incrassata, impinguata, dilatata, recalcit-